Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 65

Quelle:
Copyright:

ae Epiſcopum ab *Hieronymo* C. 131. inter *Viros Illuſtr.* relatum. Eorum initium eſt: *Poſt paſſionem et reſurrectionem domini noſtri ihesu chriſti et glorioſam eius aſcenſionem* &c. Abrumpuntur autem in verbis: *Adhuc peto domine, ut ſiquis baſilicam in nomine meo* — levi ſane diſpendio.

Ceterum Codicem hunc juſſu *Folknandi* Abbatis *Sitticii* inter annos 1150—80. ſcriptum fuiſſe, *Auguſtinus de Civitate Dei* inter *Codd. Patriſticos* hoc *Vol.* relatus certum facit; ornatus enim utriusque ita geminus eſt, ut non ovum ovo magis.

XLV.

R. 8 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur, IX. Foll. nunc 222. f. maj. literis Langobardicis luculentis per duas columnas exaratus, initiis picturatis, a *Michaele Troyſio* U. J. D. quondam donatus *Archivio Domus SS. Apoſtolorum Clericorum Regularium de Vrbe Neapolis*, atque inde in Palatinam noſtram delatus complectitur *Partem I. S. Bibliorum* edit. vulg. a *Geneſi* ad *Judices*, eamque mutilam; eſt enim nunc initium a C. XXX. *Gen.* v. 26. *meam. Da michi uxores et liberos meos* &c. *Fol.* 30. minio: *Explicit liber geneſis. Incipiunt capitula libri exodi. De infantibus hebreorum quos precepit pharao in flumine proici.* &c. Numerantur ejusmodi *Capitula* CLIX. charactere minori perſcripta. *Fol.* 73. *Explicit Exodus. Incipiunt Kapitula Libri Leuitici. Locutus eſt dominus ad moyſen de tabernaculo teſtimonii et de ſacrificiis.* &c. numero LXXXIV. *Fol.* 104. *Explicit Liber Leuiticus. Incipit Capitula De Lib. Numeri. Recognitio duodecim tribuum facta a moyſe et aaron! et a duodecim principibus a uiginti annis et ſupra preter leuitas.* &c. numero LXXIII. *Fol.* 150. *Explicit Liber Numeri Qui Appellatur Hebraice Vaiedabber (IIII.) Incipiunt Capitula De Libro Deuteronomii.* At vero haec abſunt, unius modo columnae ſpatio vacuo eis relicto. *Fol.* 188. p. 2. *Explicit Helleaddabarim. Quod Nos Dicimus Deuteronomium;* et ſtatim absque capitulatione ſequitur Liber *Joſue*, ad cujus calcem *fol.* 215. p. 2. notatur: *Explicit Joſue Ben Nun. Incipit Sophthim. Id eſt Judicum.* A *fol.* 223. luculentus ille character in minorem, ſed aeque coaevum, mutatur, et quidem C. V. v. 14. columnaeque dilatantur, donec abrumpatur *Codex* in his C. XVIII. v. 6. verbis: *Qui reſpondit eis: Ite* — — Quod ſane dolendum non ſolum ob ejus adcurationem, ſed etiam venerandam ſpeciem, et aevi illius καλλιγραφιαν. In Monaſterii cujusdam uſibus eum olim fuiſſe declarant *Lectiones* in eccleſiaſtico Officio per annum haberi ſolitae hinc inde minio adſignatae.

XLVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 955
XIII. Folior. 284. f. maj. jam per duas, jam per tres, etiam qua-